

Alb. Magn.

Albertus Magnus ob quam, qui non credunt, jam iudicati, & damnati sunt. Et ita ait: Hoc est iudicium, seu forma, & ratio condemnationis. Et ad hoc magis declarandum enumerantur tria, ut advertit D. Thomas, beneficium, perversitas infidelium, causa perversitatis, Beneficium, Lux venit in mundum. Homines erant in tenebris ignorantiae, quas quidem Deus destruxit, mittens lucem filii sui in mundum, ut homines cognoscerent veritatem. Joan. 8. Ego sum lux mundi. Et considera magnum Dei beneficium, quod homines non quaesierunt lucem, sed ipsa venit ad eos, Vide lib. 3. cap. 2. quest. 4. Quod notant D. Chryso- stomus homil. 27. Nunquid ipsi homines eam quaesierunt, vel laboraverunt, ut invenirent, ipsa lux venit ad eos, nec ei occurrerunt. Perversitas infidelium: Dillexerunt magis tenebras, quam lucem. D. Hilarius in Psalm. 1. per tenebras, intel- ligit peccata, & vitia. At haec expositio cum se- quentibus verbis, Erant enim eorum mala opera: non cohaeret, nam simul eisdem rei fieret re- petitio, Et ideo D. Cyrillus lib. 2. cap. 5. 4. D. Chry- stomus homil. 27. D. Thomas, D. Bonaventura, per tenebras intelligunt infidelitatem, seu Dei ignorantiam; & valde frequenter in hoc sensu usurpantur tenebrae in Scriptura. 1. Petri 2. num. 9. Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lu- men suum, Ephes. 5. num. 28. Eratis aliquando tene- brae, id est, sine Dei cognitione, nunc autem lux in Domino. Et ita dilexerunt homines magis tenebras tam immobiliter suis depravatis erro- ribus inhaerentes, ut ne ab illis desisterent, no- luerint veritatis fidem inquirere, nec oblatam re- cipere. De his enim ait Divus Chryso- stomus homil. 27. Quisnam ejus miserebitur, qui cognita luce in tenebris potius degere perseverat. Causa perversitatis, Erant enim eorum mala opera. Quam- vis enim lux venerit, ut omnes illuminaret; ta- men infideles suis iniquis factis obstacula, & im- pedimenta opponerunt, ne illuminarentur. Et licet darentur aliqui infideles, qui aliquas bonas haberent actiones, ut Caro, & alii, hoc prove- niebat, non amore virtutis, sed ob vanam glo- riam, ut docent hic D. Chryso- stomus, D. Thomas, vel ob amorem suae sectae, & erroris: Ut si quis infidelis castè vivat, vel jejuret, quia praecipitur in sua secta.

Joan. 8. Lux quaerit homines, & non homines lucem. Chryso- st.

Hilar.

Cyri- llus. Chry- st.

1. Petri. 2. Ephes. 5.

Chry- st.

Peccata in- fidelium sunt obsta- cula, ne il- luminentur.

Chry- st. D. Thom.

Ioannis 5. n. 20. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.

VERSIONES.

Syriacus. Quisque enim odiosa ma- la agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne ar- guantur opera ejus. Arias. Mala faciens.

EXPOSITIO.

309. MAGNA connexione procedens loquitur Dominus, & explicat causam, ob quam homines magis dilexerunt tenebras, quam lu- cem. Et ait: Omnis, qui, malè agit. Et quamvis

Græcè dicitur Mala agit; tamen præstantior est nostra lectio Latina, nam apud Philosophos constat, prius esse malè operari, quam malum, nam illud significat cum contemptu, ac perseve- ranter agere: & hi propriè oderunt lucem, ut no- tant Albertus Magnus, & Salmeiron. Illi veid, qui licet interdum malum faciunt, non tamen ex con- temptu, ideo non fugiunt à luce, sed currunt ad illam, ut videant suos defectus, Omnis enim, qui malè agit, peccando odit lucem peccata, & vitia ar- guentem. Job. 24. num. 13. Ipsi fuerunt rebelles lu- mini, nescierunt vias ejus. Textus, Non venit ad lu- cem; immo fugit eam, ne manifestentur opera sua, sed solum tenebras quaerit, ut licentiosè viva. Ita impius suis inique factis inhaeret, ut ne ejus de- tegatur, ac arguantur facta, neque ipse de veri- tate doceatur, lucem fugiat. Rectè Divus Chry- stomus homil. 27. ait. Qui tenebris inhaeret, per- versa mentis, & linguosa a gumentum defert adver- sus semetipsum. Valde decipitur peccator, nam dum lucem, veritatisque scientiam fugit, ad eum non effugit, sed adversus se à semetipso lucem ne- quitiae habet argumentum. D. Cyrillus lib. 2. cap. 5. ita explicat hæc verba, Recusat, ait, om- nis, qui malè agit, lucis illuminationem: non quia ma- lorum eum pudeat, pigeatque (salva enim est, si id esset,) sed quia ignorare meliora maluit, ne con- scientia stimulis quotidie peccans exagretur. Quia verò impij in vitiis suis maxime delectabantur, & ne à lege Evangelica, eorum malum conscien- tiam indicante, cogerentur hujusmodi vitia de- ponere: ideo legem noluerunt recipere, ut placi- dè suis iniquitatibus indulgerent, mala enim conscientia accusatrix est, & quietem in dele- ctationibus perturbat.

Albert. Mag. Salmeiron.

Job. 24.

Chry- st.

A semetipso arguitur peccator.

Mala con- scientia ac- cusatrix est.

QUESTIO LVIII.

Quare, cum lex venerit ad salvandum homi- nes, noluerint, ad ipsam venire?

310. Merito addubitat D. Chryso- stomus homil. 27. Quare homines noluerunt venire ad lucem, quia eorum opera erant mala: nam si lux ad iudicandum, ac damnandum venisset, optima erat ratio: Noluerunt venire, quia ti- mebant lucem, nam eorum opera erant mala, tan- dem.

311. Respondet idem Chryso- stomus quòd ad lu- cem noluerunt venire, non quia peccata habe- bant, multi enim publicani, peccatores Jesum sequebatur, & ambulabant eum eo, sed illi venire noluerunt, qui perseverantiae suae mali- tiam capiebant, & ne à suis peccatis desisterent lucem fugiebant, & tenebras sectabantur, tene- brae enim valde oportune delictis patrocinan- tur & ex tenebrarum caligine peccatores sibi peccandi

Ratio dubi- tandi.

311. Chry- st.

Tenebrae de- lictis patro- cinantur.

Isai. 29.

Oleaster.

Peccata se- creta maxi- mè depla- randa.

Hieron. 312.

2. Reg. 12.

Abulch.

peccandi licentiam sumunt: nam qui in occulto peccat, videtur sibi impunè delinquere, tan- quam si apud homines homo, non tam sit deli- cti reus; quam publicationis ipsius criminis. Ait Isaias 29. n. 15. Va qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tene- bris opera, & dicunt: Quis videt nos? Lamentatur Propheta, ut volt ibi Oleaster. principes Israël, qui secretissime periebant auxilium ab Aegyptiis, ne hoc scirent Assyrii inconsulto Domino. Ta- men, cum multa in Israël flagitia, & abomina- tiones grassarentur, ut patet ex ipso cap. 29. & 30. Propheta lactymosum vix profert, & multis deplorat, quæ secretò, ac sub tenebris fiebant: quia tenebrarum latebrae magnam delictis licen- tiam, & suffragium præstant; dicunt enim: Quis videt nos? Quos late pungit, & arguit D. Hieron. ad civitatem Isaiæ locum. Veniens Nathan ad Davidem, ut ipsum arguer- ret, & increparet de adulterio commisso, ait ei. Tu enim fecisti absconditè, 2. Regum 12. in. 12. Sed ad quid dum ejus supplicium profertur, ei dici- tur quòd fecerit absconditè, Abulensis ibi: Tu cognovisti Bethsabeeam in absconditè, & fecisti ea ad te secretè duci: postea quoque celare voluisti fa- ctum istud per mortem Uria. Ut exaggetur culpa, secreti commoditas commemoratur; quod enim secretè agitur; magna cum penitentia commit- titur; nam tenebrarum absconditum latibulum fovet inverecondiam, patrocinatur impudentia, & toras libidinis habenas solvit.

Ioannis 3. n. 21. Qui autem facit verita- tem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

VERSIONES.

Vatablus. Qui autem operam dat in- tegrari, venit ad lu- cem, ut palam fiant facta ipsius, quòd cum Deo sunt facta.

Hebraicè. Qui autem facit opus re- ctum, seu iustū, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia instin- ctu Dei sunt facta.

Syriacus. Ut innotescant opera ip- sius.

Theophylactus. Ut conspicua fiant facta ipsius, quòd per Deum sunt facta.

EXPOSITIO.

313. CUM malè operantes dixissent odisse lucem, & ad eam non venire, ut non arguan- tur eorum opera, subiungit: bene operantes amare lucem, & ad illam venire, ut manifesten- tur opera eorum: Qui autem facit veritatem; frequens Hebraismus est; & veritas ponitur Sylvara in Evang. Tom. II.

pro opere iusto, & recto. Exechiel 18. num. 9. Si iudicia mea custodieris, ut facias veritatem, h. c. Ezech. 18. iustus est, & vivet. 4. Regum 20. n. 3. Memen- to quæso, quomodo ambulaverim coram te in veri- tate. Quædammodum enim veritas dicti in co- stat, dum conceptus, vel verbum internum confirmatur rei, quæ ut est, concipitur, & profertur, ita rectum, & iustum opus in co- consistit, dum conforme legi Dei venit ad lucem. August. D. Augustinus tractat. 12. in Joannem, magnam hic dubitationem movet; quia ex dictis videtur sequi aliquos ante fidem Christi habuisse bona opera; & in Deo facta: quòd contrariatur Psalm. 126. num. 2. Vanum est vobis ante lucem surgere. Ad hoc respondent D. August. D. Bo- naventura; Facere veritatem ergo vocat hic Domi- nus peccata agnoscere Christo lucente; vel ire ad lu- cem, vocat; gratias Deo agere: in dilectione Dei, & misericordia ambulare, sive in operibus bonis. Ita Bonaventura. Ille ergo venit ad lucem, qui agnoscendo peccata sua, & miseritimum infide- litatis statum, venit ad lucem, gratias agendo pro misericordia recepta Christo illuminante.

Ezech. 18. 4. Reg. 20.

August.

Psalm. 126.

August. Bonavent.

Magna uti- litas ex co- gnitione pro- prii status.

Tamen meo videri hic loquitur Dominus de- pia, & bona voluntate antecedente ad opus ju- stitiae. Nam in nobis ante actum credendi datur quadam voluntas, quæ dicitur pia affectio, & ante opus meritorium datur hujusmodi voluntas rectè operandi, quæ voluntas est ex peculiari Dei auxilio. Qui ergo habet hujusmodi bonam voluntatem, venit ad lucem, id est, ad Chri- stum. U. manifestentur opera ejus, id est, venit ad lucem, ut per eam cognoscat, opera sua rectè, & secundum Deum esse facta. Nam sicut qui malè agit, fugit lucem, ne agnoscat suam nequi- tiam; ita qui rectè agit, quaerit, & venit ad lu- cem, ut per eam agnoscat, quòd sit rectum opus, & secundum Deum factum.



CAP. IV.

Incarceratur divinus Baptista.

Marci 6. n. 17. Ipse Herodes misit, ac te- nuit Joannem, & vixit eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam.

VERSIONES.

Syriacus. Ipse Herodes miserat, prehensum Jochanum, eumque conjecerat in domum vinctorum, pro- pter Herodiadem uxo- rem Philippi fratris sui quam duxerat.

Theo

Theophylactus, Ipse Herodes missis satel-
Euthymius, litibus manus iniecerat
Vatablas, in Ioannem, & vinxe-
rat eum in carcere.
Arias, Herodes delegans prae-
hendit Joannem, &
vinxit eum in custodia.

ALTER TEXTUS.

Matth. 14. n. 3. Herodes tenuit Joannem,
& alligavit eum, &
posuit in carcerem pro-
pter Herodiadem uxorem
fratris sui.

Luc. 3. num. 19. Herodes autem Tetrar-
cha, cum corripetur
ab illo de Herodiade
uxore fratris sui, & de
omnibus malis, quae fe-
cit Herodes; adjecit &
hoc super omnia, &
inclusit Joannem in car-
cere.

EXPOSITIO.

1.
Chrysof.
Abulen.

RECTE notant Chrysof. homil. in Matth.
& Abulen. c. 14. Matth. 9. 4. quod Evan-
gelistae non principaliter inducunt hanc histo-
riam Joannis; nam totum eorum studium fuit,
res gestas Christi scribere; sed tantum occasio-
naliter incarcerationem, ac necem Joannis
commemorant, prout ad facta Christi pertinet.
Et ideo in Joannis historia narranda nullus
Evangelista servavit ordinem: nam Lucas nar-
rat incarcerationem, ac alligationem Joannis,
antequam explicet, Christum ab eo baptizatum
esse. Et hoc fit per anticipationem, Christus
enim prius est baptizatus ab eo. Math. 3. &
Marcus antequam hanc Joannis historiam pro-
ferant, Herodis sententiam referunt, quia au-
diens Christi mirabilia dixit; Joannis, quem
ego decollavi, ipse surrexit a mortuis, & ideo
virtutes operantur in eo. Et haec sententia fuit
dicta postquam Joannes mortuus est. Circa
hoc tempus ergo incarceration Joannis contigit:
nam ipse conjectus est in carenas, antequam
Christus abiret in Galilaeam, & colloqueretur
cum muliere Samaritana. Matth. 4. num.

Matth. 4.

22. Cui audisset IESVS, quod Joannes tra-
dius esset, secessit in Galilaeam. Et similiter
Marc. 1. n. 14. quod intelligitur, non de primo
accessu ad Galilaeam, quando Dominus venit ad
nuptias; quia post huiusmodi nuptias Joannes
baptizabat in Aenon Ioan. 3. n. 23. sed de secun-
do discessu: quando habuit colloquium cum
Samaritana.

2.

Ipse Herodes. Qui Christi mirabilia audiens
dixit, quod Joannes Baptista surrexit a mortuis;
ita enim patet ex textu Matthaei & Marci. He-
rodes iste fuit Herodes Antipas filius Herodis
Idumaei, qui infantes occidit. Misit ac tenuit
Joannem per satellites, ac ministros suos, ut

clarius habent Euthymius, Theophylactus; Vatablas. Nunquam defunt impii ministri, qui depravatae Regis voluntatis famulentur. Et posuit eum in carcere, in quo mansit longo tempore, ut notat Abulensis Matth. 14. quae. 12. ne argueret, ac reprehenderet Herodem de adulterio, uxorem enim fratris sui Philippi sibi copulaverat, ac multa alia scelera publica commiserat, de quibus omnibus intrepidè à Joanne arguebatur. Quod notat Divus Lucas, Cum corripetur ab illo de Herodiade, & de omnibus malis quae fecit Herodes.

QUESTIO I.

Quisnam esset Herodes, Herodias, & Ioannis carcer?

HERODES hic ab Evangelistis commemora-
tus, ille est, qui dicitur Antipas magni He-
rodis filius, quo regnante natus est Christus, &
infantes occidit, ut dixi lib. 2. c. 7. Iste autem
Herodes magnus, seu Idumaeus multos habuit
filios; aliquos antequam à vita discederet, iussit
occidi, ut advertit lib. 2. cap. 9. num. 18. Inter quos
fuit occisus Aristobulus, pater Herodiadis. Tres
tamen reliquit filios superstites: Hunc Hero-
dem Tetrarcham Galilaeae, Philippum Ituriae
Tetrarcham, & Archelaum, qui rexit Judaeam.
Herodes autem, hic nominatus, quem Joannes
reprehendit, est ille, à quo Dominus est illusus
in sua passione, & erat Galilaeae Tetrarcha,
ut advertit D. Lucas. Tetrarcha vox est Graeca,
& significat illum, qui quartam partem regni
tenet, ut notavi lib. 3. c. 1. quae. 1. num. 4. Di-
citur etiam ab Evangelista infra Rex, Marc. 6.
num. 14. Matth. 14. num. 9. quia Tetrarchae po-
testate simili regiae utebantur. Haec omnia fue-
runt notanda, ut intelligantur, quae infra sunt
dicenda.

Circa Herodiadem aliqua sunt controversia
apud Authores; nam D. Hieronimus Matth. 14.
ex quadam antiqua historia narrat Herodiadem
Aetiae Regis Arabiae Petrae filiam fuisse, & Phi-
lippo Herodis Idumaei filio datam fuisse in ma-
trimonium. Postea vero refert sanctus Doctor,
socerum ejus; exortis quibusdam contra gene-
rum simulationibus, tollisse filiam suam, & in
dolorem prioris mariti, Herodi fratri ejus, ac
inimico nuptiis copulasse. Divum Hieronimum
sequuntur Divus Paschasius lib. 7. in Matth. Beda,
Haymon, Albertus Magnus. Sed probabilior est
sententia Josephi quae in illa historia, igno-
ratur enim, ex quo desumpta fuerit, ut testatur
Cajetanus.

Josephus lib. 18. antiquit. cap. 7. affirmat Hero-
diadem hanc magni Herodis nepotem fuisse ex
filio Aristobulo; & ita, ut rectè observat Beau-
xames, dicta est Herodiades nomine patronymi-
co ab avo. Pater ergo Herodiadis, extitit Aristobulus
filius magni Herodis, qui patris iussu est
occisus: fuit etiam frater Herodis Antipae, &
Philippi, qui Herodiadem consobrinam suam
in matrimonium duxerit. Cum Josepho con-
veniunt Eusebius lib. 2. histor. Ecclesiast. cap. 11.
Janfenius, Cardinales Cajetanus, Baronius, Toletus
in Lucam. Herodes autem Tetrarcha

ante

QUESTIO II.

An Herodes sponte sua, vel persuasa alio-
rum Ioannem incarcerationis?

Dico primò, quod consentientibus, & coo-
perantibus Pharisaeis Joannes conjectus est
in carcerem. Hanc sententiam tradunt Divus
Hieronymus in cap. 17. Matth. ad illa verba
Elias jam venit. Et in eod. c. Lyranus, & Carth.
Interlin. Glossa Interlin. D. Thom. Cajetan. & Tolet. in c.
D. Thom. Caiet. Tolet. Janfen.
4. Joan. statim in principio. Janfenius, c. 23. Con-
cord. Probatur ex Matth. 17. n. 12. ubi ait Do-
minus; Elias jam venit, & non cognoverunt eum
Matth. 17. sed fecerunt in eum, quaecumque voluerunt: sic &
filius hominis passurus est ab eis, &c. Loquitur Hieron.
Dominus de Joanne, quem Eliam vocat. Ubi ait
D. Hieronymus. Queritur, cum Herodes, & He-
rodiades Joannem interfecerint, quomodo ipsi
Jesum quoque crucifixisse dicantur, cum dica-
mus eum à Scribis & Pharisaeis interfecisse? Res-
pondendum, quod & in Joannis necesse consensit
Pharisaeorum factio, & in occasione Domini factio.
Herodes junxit voluntatem suam, qui illum
remiserit ad Pilatum, ut crucifigeret eum. Ita
D. Hieronymus.

Dico secundò suadente etiam Herodiade He-
rodes posuit Joannem in carcerem. Ita Euthy-
mius, Carthusianus in cap. 14. Matth. Abulensis
9. 15. Imò ait Victor Antiochenus, quod Herodes
vultus precibus Herodiadis Ioannem incarcerationis.
Probatur, quia Marc. 6. n. 19. Herodias autem in-
diabatur illi, scilicet Baptista, & volebat occidere
eum. Et quoniam Evangelista per anticipatio-
nem prius commemoraverit incarcerationem
Joannis, quam infidias Herodiadis, tamen ubi pri-
mum Joannes arguit Herodem de sua luxuriosa
torpitudine, Herodias odium concepit in Bapti-
stam, & omnibus modis tentavit adversus eum
parare omnes infidias, eumque occidere, ac incar-
cerare, & hac de causa importunè precibus in-
stabat Herodi. Eleganter D. Petrus Chrysologus
serm. 173. Illa, scilicet Herodias, ne esset arguens,
arguens tendebat ad mortem illi, ut placet ei in-
clusum, quia in innocentem veus facile non pote-
rat dicere sententiam. Ut placeret Herodiadi He-
rodes incarcerationis Joannem; non tamen in eum
capitalem statim sententiam profert, quia iniquus
in justum sententiam facile dare nequit. Imò
Herodes quando post multum tempus incarce-
rationis Joannis caput ejus iussit amputari, sen-
tentiam non profert, sed violenter per iniquum
imperium caput sibi mandat asserri.

Dico tertio, quod Herodes spontè, ac volunta-
riè consenserit incarcerationem Joannis. Ita
Abulensis, 9. 15. licet ipse teneat, quod etiam nemine
suggerente voluit eum in vincula conjicere. Ego
verò existimo, quod in hoc negotio intervenit
consilium Pharisaeorum, quia Joannes de Christo
testimonium dabat, preces Herodiadis, & etiam
voluntas ipsa Herodis. Hoc ultimum probatur,
nam cetera patenti, Probatur, quia Joannes predi-
cans arguebat Herodem de illicitis nuptiis, ideo
ad evitandam huiusmodi vexationem, eum vo-

Joseph.
Euseb.
Nicephor.

antequam Herodiadem acciperet, ut testatur
Josephus, & Eusebius citati, una cum Nicephoro
lib. 1. histor. cap. 19. uxorem habuit Aetiam Regis
Arabum filiam, quam è suo matrimonio eiecit,
cum esset captus amore Herodiadis uxoris sui
fratris; quam in conjugem duxit. Et ob hoc
negotium inter Herodem, & Aetiam Arabiae Re-
gem incesit bellum; exereitus autem Herodis in-
terfectione perit, ut refert Josephus citatus, eo
quod Herodes Joannem Baptistam decollaverit.

Joseph.

6.

An vivente
fratre.
Hieron.
Euseb.
Paschas.
Basil.
Gloss.
Euthym.
Alb. Magn.
Beda.
Haymon.
Carthul.
Hugo.
Cajetan.
Beauxalm.
Bonavent.
Niceph.

Adhuc est lis inter Doctores; An Herodes
duxerit Herodiadem in matrimonium vivente
fratre Philippo? Affirmativa sententia meo videri
est simpliciter vera, eam tradunt D. Hieronymus,
& Eusebius citati. D. Paschasius lib. 7. in Matth.
D. Basilus Seleucus Orat. 18. in cap. 14. Matth.
Glossa Interlinealis, Euthymius, Albertus
Magnus, Beda, Haymon, Carthusianus, Hugo,
Cajetanus, & Beauxames, Divus Bonaventura
de vita Christi cap. 29. Nicephorus lib. 1. histo-
riarum, c. 19. & alii multi Doctores. Nam Phi-
lippos, ut refert Josephus lib. 18. antiquit. cap. 6.
obit anno vigesimo primo principatus Tiberii
Caesaris; Joannes autem incepit suam practica-
tionem anno decimoquinto Tiberii Caesaris Luc.
3. n. 1. & postea ferè circa annum & dimidium
carceri est traditus. Imò Baronius in eodem an-
no trigesimo primo Christi ponit exordium pra-
dicationis Joannis in Epiphanie num. 6. & incarce-
rationem num. 19.

Baron.

7.

Qui dicunt
post mortem
fratris.

Sunt alii authores, qui dicunt Herodem con-
jensisse sibi matrimonio Herodiadem uxorem
Philippi demortui, qui reliquerat ex Herodiade
filiam illam de causa à Joanne reprensam fuisse,
quod contra legem ageret; nam prohibitum
erat Levitic. 18. n. 16. fratris demortui uxorem
ducere, solo uno casu licebat, & praecipuum
erat, nimirum ad suscitandum semen fratris sui,
quando sine liberis discesserat, ut constat Deute-
ronom. 25. n. 5. Quod in hoc Herodis facto lo-
cum non habebat; nam Herodias ex Philippo
mortuo puellam illam saltatricem conceperat.
Hic opinioni patrocinantur Tertullianus lib. 4.
contra Marcionem, cap. 34. D. Chrysofostomus
homil. 49. in Matth. Sed primo opinio verior,
utpote communior, & solidiori fundamento
innixa.

Tertull.
Chrysof.

8.

Joseph.
Ubi fuerit
Ioannis
carcer.

Locus carceris scribitur à Josepho lib. 18. antiq.
cap. 10. fuisse castellum Macharunte munitissi-
mum, non longè à mari mortuo. At, ut rectè
observat Batradas, falsum videtur, quoniam
convivium Herodis agebatur in Galilaea: non
potuit ergo ex convivio mitti spiculator in ca-
stellum, & è castello ad idem convivium eodem
die caput Joannis asserre; interjaec enim iter
oblongum, & multarum leucarum: Aranda
cap. 2. de Samaria, scribit, carcerem Joannis
ostendi in Samaria. Unde non est probanda
sententia Maldonati in cap. 14. Matth. num. 10.
ubi tenet, Herodem suum convivium celebrasse
in Macharuntina arce, hoc dicens ad evitandam
difficultatem propositam. Hoc non placet: tum
quia Aranda diligentissimus spiculator Terrae
sanctae scribit, carcerem Joannis esse in Samaria;
tum quia creditur, Herodem celebre convivium
natalis sui peregrisse in regali civitate Galilaeae, &
non in parvo castello.

Aranda.

Maldon.